Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



108.

est celebre quo Dominum demonstrauit, et ut dicitur claris miraculis refulgens, aduenientibus beneficia multa profluens, quem B. Thecla ad partes Alpium in Seleuciam, quam prope Monasterium asseruntesse sitam, ubi ipsa quiesceit, ~~ipsa~~ ut asseritur adportauit. Et ne quis errore nominis Seleucie deceptatur, predictus scriptor studiose addidit; „Seleucia tamen altera legitur clarior ista multum, in Syria Prouincia condita a Seleuco.„ Sed nullus locus circa Monasterium Stambs inuenitur qui ita dicatur, nisi quis pagum Silz ita latine reddere (quod tamen non ualde absonum uidetur) uelit. Sed Monasterium tunc nondum erat constructum. De translatione huius digiti uaria scribuntur. In Historia enim Scholastica legitur, quod digitus ille qui conburi non poterat (quando uidelicet Impius Julianus Reliquias Sanctorum ubique concremari iussit) a S. Thecla in Asyes translatus sit. Joan. Beleth asserit ipsum a S. Thecla ab vltramarinis partibus in montana allatum atque ab ipsa in honorem S. Joan. Baptistæ ibidem Ecclesiam fuisse constructam. Quenam autem hæc Thecla fuerit, rursum incertum est. Quod S. Thecla Apostoli Pauli discipula, aut illa S. Thecla quæ cum duabus suis sororibus martyrio sublata est, non fuerit, certissimum est. Extitit autem olim in Basilica Monasterii Stamsensis altare in honore S. Matthæi Apostoli cum ipsa Basilica consecratum, super quod tabula erecta erat, in qua picta fuit mulier uelo albo uti moniales nostri aui gestare solent cooperta, sed corpus pallio oblongo castanei coloris tectum, supra cuius caput erat scriptum S. THECLA. Hæc ibi ~~uidebatur~~ ac si flexis genibus digitum linteolo impositum altari imponere et offerre uellet. An autem hæc S. Thecla de qua supra in historia Scholastica, et in MS. Beleth mentio facta est, huc attulerit S. Joan. Bapt. digitum, et in eius honorem S. Joannis Capellam, ut dictum est, construxerit, pro certo affirmare non audeo. Addo tamen recentiorem et Villa Stambs aliquantulum uiciniorem: cum in Catalogo Reliquiarum, qui a deuoto Fratre Anno Domini 1422 descriptus fuit, inter cæteras Monasterii Reliquias inscriperit Baculum S. Thecla Virginis.

Porro ~~celebritatem miraculor~~ S. Joannem B. in Stams jam diu ante Monasterii constructionem fuisse miris beneficiis ac prodigiis longe lateque celeberrimum; infra C. XIV demonstrabitur. Interea sufficiat ea, quæ de B. Thecla Stamsii inueniuntur exarrasse; ut quid ex Actis Mauriancnsibus simul et traditione Stamsensi denique concludi,